

- 36 *Solliciti suere Magistratus Regis, ne subditi judicarentur extra suas Provincias.*
 37 *Judicia facilius instentur & absolvi possunt intra Provinciam.*
 38 *An Episcopi ob aliquod crimen possint conveniri apud Judicem laicum?*
 39 *Difficiliter hodie conveniri possunt Episcopi criminaliter.*



I. Causas criminales Episcoporum jam pridem in Synodis Provincialibus tractatas fuisse laici constat, estque passim ab omnibus admittuntur, & in Canonibus antiquis expressum.

II. Id imprimis probat Nicænus Canon. V. qui licet expressè & nominatim de Episcopis non loquatur, nihilominus cum generatim quaestiones in Provincia exorientes velit in Synodo Provinciae examinari, ac determinari, videtur & ipsas quaestiones sive causas contra Episcopos comprehendere; præsertim quia nominatim Concilio Provinciali iudicium tribuit, & examen excommunicationum ab Episcopis latarum in Clericos; quod fieri non potest, quin de Episcopo iudicium feratur. "Requirantur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videantur, à Congregatione seclusi. Ut hoc ergò decentius inquiretur, beneplacuit, annis singulis per unamquamque Provinciam, bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis Provinciae congregatis, discutiantur huiusmodi quaestiones."

III. Ad hæc secunda Synodus generalis Constantinopolitana I. dicit, omnem Provinciam administrationem Synodo Provinciali per Canonem Nicænum commissam. Verba Canonis II. huius Synodi sunt: "Servata, quæ præscripta est de gubernationibus, regulâ, manifestum est, quod ista, quæ per unamquamque Provinciam ipsius Provinciae Synodus discutit, sicut Nicæno contra decretum esse Concilio."

Quis porro ambigat, quin intra illa, quæ per unamquamque Provinciam occurrunt, maximi momenti sit Episcoporum correctio & depositio?

IV. Sed omnem scrupulum eximunt Patres Africani, quos intererat S. Augustinus in Epistola ad Celestinum Papam, ubi tamquam indubitatum asserunt juxta Nicæna Decreta, Episcopos à suis Metropolitanis, nimirum in suis Conciliis Provincialibus esse iudicandos. "Præfatio debita salutationis officii, impendio deprecatur, (inquit) ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem velitis admittere; quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum facile advertit Venerabilitas Tua; nam et si de inferioribus Clericis vel laicis videtur tibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia à communione suspensi à Tua Sanctitate vel festinatò, vel præpropere vel indebitè videantur communioni restitui; quia & nullâ Patrum definitione, hoc Ecclesiae derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim iustissimeque providerunt, quacumque negotia in suis locis, tibi orta sunt, finienda, nec uniuscuique Provinciae, gratiam Sancti Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur."

V. Disciplinam Nicæno Canone stabilitam amplexi sunt Patres Concilii Antiocheni Can. 15. qui ex versione Dionysii Exigui sic habet: "Si quis Episcopus, de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciae, cunctique consonanter eandem contra eum formam Decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari sed firmam concordantium Episcoporum Provinciae manere sententiam."

Hic manifestè supponit Concilium, Synodum Provinciae de criminibus Episcopi iudicare, ipsamque sententiam, si constantibus Episcoporum suffragiis lata sit, firmam manere voluit.

Sin autem Episcopi dissentiant, statuit Synodus Can. 14.

ut (tunc) Metropolitanus Episcopus à vicina Provincia iudicetur, ces alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul & per Comprovinciales Episcopos, quod iustum visum fuerit, approbetur."

VI. Disciplina hæc deferens causas Episcoporum Synodo Provinciae licentur quoque Canonibus Concilii Sardicenses expressa est.

Nam Canon. 3. ex lectione Dionysii Exiguita habet: "Quod si aliquis Episcoporum iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat, se causam bonam habere, ut iterum Concilium (versio Gentiani Herveti habet: *Ut etiam rursus iudicium*) renovetur, si Vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt." (Græca versio habet: *Judicantur*.) "Julio Romano Episcopo, & si iudicaverit, renovandum est iudicium, renovetur, & det iudices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: *Placet*."

Hoc Canone deferri Synodo Provinciae in prima instantia causas Episcoporum, atque ab ea Episcopos iudicandos esse, manifestum est.

VII. Verum cum animadversum esset, non semel accidisse, ut Hæreticorum, ac nominatim Arianorum, qui tunc dominabantur, vastitæ & potentia, Episcopi Catholici in Conciliis seu potius Conciliabulis opprimerentur & damnarentur, ut recenter in S. Athanasio factum fuerat, Osius Episcopos Cordubensis Occidentaliū & Orthodoxorum Episcoporum Coryphæus, censuit, conveniens fore, ut si Episcopus damnatus putaret se bonam causam habere, petere possit renovari iudicium, sive causam rursus examinari.

VIII. Sed ne hæc renovatio iudicii semper posset ipsum Synodale iudicium suspendi etiam per homines sceleratos, meritoque damnatos; ipsaque iudicia Ecclesiastica magis paterent nebulonum quorundam protervia, quam secularia, in quibus non omnium appellations recipi docet titulus Codicis, *Quorum appellations non recipiantur*, iudicatum, eam non esse admittendam sine iusta causa.

IX. Itaque necesse erat, ut quis designaretur, qui iudicaret, num iudici renovatio esset admittenda, quare proposuit Osius. Si placeret, ut quando aliquis damnatus à Synodo petit renovari iudicium, scribatur Julio Episcopo Romano per Episcopos, qui iudicantur, ut ipse iudicet, an renovandum sit iudicium, an non. Si prius, iudicium renovetur; si posterius, tunc iudicata maneat sententia. Verba Canonis ex versione Herveti clara sunt: "Si vestra dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab his, qui iudicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopos; & per propinquos Provinciae Episcopos, si opus sit, iudicium renovetur; & cognitores ipse præbeat. Si autem probari non potest, causam ejus esse talem ut eam rursus iudicari opus sit; quæ semel sunt iudicata, non infirmantur, sed rata sit lata sententia."

X. Ut verò causa maneret integra, quousque sententia Episcopi Romani super renovatione iudicii haberetur, æquum visum fuit Gaudentio Episcopo, cuius sententiam Synodus probavit, ut dum sententia Episcopi Romani expectaretur, nullus in locum depositi Episcopi ordinaretur, quem admodum Canone 4. exprimitur; qui ex versione Gentiani Herveti sic habet: "Gaudentius Episcopus dixit: Si videtur, necesse esse ad iudici huic sententiam, quam sincerâ dilectione, plenam protulisti, ut si quis Episcopus fuerit depositus iudicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituat, quam Romanus Episcopus causâ cognitâ sententiam tulerit."

XI. Uterius quia Canone 3. expressa non erat forma, quæ in ipsa renovatione iudicii servanda foret, casu quo Episcopus Romanus senserit, iudicium esse renovandum, Canone 7. decernitur, "ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem Regionis Episcopi eum gradu moverint;

ac velut appellans confugerit ad Beatissimum Romanæ Ecclesie Episcopum, & velit ipsum audire, & iustum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari; Coepiscopis scribere dignetur, qui sunt propinqui Provinciae, ut ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant." Hæc juxta versionem Herveti, cui quoad sensum consonat editio Dionysii Exigui. Atque hic est primus modus, quo ex sententia Episcopi Romani iudicium renovari potest.

XII. Alterum modum subjungit Canon, cujus sensus clarè exprimitur apud Dionysium Exiguum, quam in versione Hervetiana, quamvis re ipsa conveniat. Itaque Dionysii editio ita habet: "Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid existimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentibus cum Episcopis iudicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò creditur, dicitur Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant; faciet, quod sapientissimo consilio suo iudicaverit."

XIII. Sensus proinde Concilii Sardicenses his Canonibus expressus est, ut Episcopi coram Synodo Provinciae accusari, iudicari, & eam gradu moveri queant; ipsaque sententia Synodi firma consistat, nisi Episcopus damnatus iudicium renovari petierit; ipseque Episcopus Romanus ab Episcopis Provinciae interpellatus iudicaverit, iudicium renovandum juxta modum Can. 7. expressum: prout latius deduxi in Tractatu Historico-Canonico in notis ad hos Canones.

XIV. Canonibus Sardicenses quoque primum iudicium super causis Episcoporum delatum Synodo Provinciae, consonat Synodus Chalcedonenfis Can. 9. "Si Clericus autem cum proprio Episcopo negotium aut litem habeat, à Provincia Synodo iudicetur." Vide etiam Novellam Justiniani 123. cap. 22. quæ controversias Episcoporum similiter Synodis Provincialibus, ves etiam Metropolitanis committit.

XV. Circa idem tempus Gelasius II. Papa disertè agnoscit, Episcopos Provinciae esse iudices, "ad quorum iudicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum ac civitatum causæ referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur." Epistola ad Joannem Constantinopolitanum.

XVI. Verum circa sæculum 8. & 9. hæc Synodorum auctoritas in decedendis causis Episcoporum diminui cœpit. Sub id enim tempus nova quædam Collectio Canonum & Epistoliarum Decretalium Pontificum prodidit sub nomine cuiusdam Isidori, in qua ipsum jus iudicandi & deponendi Episcopos Synodis Provincialibus admittit, & Romano Pontifici etiam in prima instantia asserit.

XVII. Refertur enim sub nomine Julii I. Epistola Decretalis ad Orientales Episcopos in causis Athanasii, & excessibus contra Romanam Ecclesiam, in qua cap. 2. hæc leguntur: "Porro dudum à Sanctis Apostolis successoribusque eorum, in præfatis antiquis Decretum fuerat statutis, quæ hæcenus Sancta & Universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcoporum damnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt."

Et rursus cap. 4. "Si quis ab hodierna die & deinceps Episcopum præter hujus Sanctæ Sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetuo honore, eosque, qui absque hujus Sedis sunt ejectione sententia, vel damnati, hujus Sanctæ Sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus."

XVIII. In Epistola quoque Eleutherii Papæ huic similiter collectioni inserta dicitur: "De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consultum sumus, quia omnes eorum accusationes difficilè est ad Sedem Apostolicam deferre, finita Episcoporum tantum iudicia huc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus."

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

etæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis eorumque successoribus multorum contentu Episcoporum jam definitum est"

XIX. Quanto applausu hæc collectio, ac præsertim Epistolæ illæ Decretales sub gloriosis nominibus primorum Pontificum & Martyrum exhibitæ, fuerint receptæ, non tantum à Romanis Pontificibus, sed & plerisque Episcopis, qui ambiebant se iudicio & correctioni Metropolitanorum & Synodorum Provincialium subtrahere, Sedi Apostolicæ in causis criminalibus immediatè subijci, latè exposui in Tractatu Historico-Canonico in Canones parte 4. tit. 1. §. 3.

Stabilita autem harum Decretalium auctoritate, unâ invaluit opinio, Episcopum sine auctoritate Sedis Apost. damnari non posse; quod tamquam ab Apostolis ad posterum derivatum, & quasi divinitus pro privilegio Sedi Apostolicæ, cui Petrus præfedit, concessum esse dicebatur.

XXI. Unde cum anno 835. ad Gregorium VI. appellasset Aldricus Cenomanensis Episcopus ante sententiam Episcoporum, præcipit quidem Gregorius, ut causa ejus audiat à Primatè Dioceseos; sed iudicium peragi prohibet; quod sibi reservat, vel legatis suis in Provinciam mittendis. Extat integra epistola tomo 7. Concil. col. 1571. fragmentum huc spectans apud Gratianum Can. 2. q. 6. Can. 111.

Eadem fuit subsequenti Pontificum sententia, quam & suis epistolis sæpius expresserunt, & ut observaretur, præceperunt.

XXII. Observat Petrus de Marca lib. 7. De Concordia Sacerdotii & Imp. cap. 26. Arnulphum Remensem Archiepiscopum in Synodo Remensi sub sæculo 9. depositum, auctoritate Romani Pontificis fuisse restitutum, eo solo titulo, quod in Synodo sine Sedi Apostolicæ auctoritate depositus fuisset; moneturque ab eo tempore opinionem illam invaluisse, ac tandem praxim ei conformem uno quasi consensu fuisse receptam & stabilitam.

XXIII. Quare in *Dilectum*, qui vulgò Gregorii VII. dicitur, & sub ejus nomine extat tomo 10. Concil. col. 110. pro vice regulæ ponitur art. 3. "Quod ille solus (Papa) possit deponere Episcopos, vel reconciliare."

XXIV. Ad hæc cum variæ prodirent sæculo 11. & 12. Canonum Collectiones, in omnibus passim prædictæ Decretales Pontificum ab Isidoro primum prodite inferebantur; qua insertione non exigua iis conciliabatur auctoritas; præsertim tamen eis auctoritatè addidit Gratianus, eas suo Decreto inserendo.

Cum enim Decretum illud omnium, non tantum Canonistarum, sed & Theologorum manibus tereretur, eoque tamquam Corpore Canonico uterentur; imò & Doctorum Glossis illustraretur, sententiæ ibidem expressæ pro indubito suscipiebantur, & in foro admittebantur.

XXV. Refert Gratianus fragmentum supra citatæ epistolæ Julii I. Can. 3. q. 6. Can. 9. cum hæc epigraphe. "Præter sententiam Romani Pontificis, nec Concilia celebrari, nec Episcopum damnari oportet." Et Can. 7. fragmentum epistolæ Eleutherii cum hoc summario: "Comprovinciales, & Metropolitanam Episcoporum causam audire, sed diffinire possunt."

XXVI. Cum verò Gratianus in suum Decretum retulisset quoque Canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenses, & similes, qui causas Episcoporum ad iudicem Synodorum referunt, necesse fuit, aliquam reperiri rationem hos Canones conciliandi; unde tandem adhibita fuit distinctio inter causas majores & minores. Majores dixerunt, quæ depositionem ab Episcopo mererentur. Minores verò, quæ correctionem, sed initio rem requirerent.

Illas Sedi Apostolicæ reservatas esse dicebant juxta Decreta in Decretalibus Pontificum relata, has verò conformiter ad factos Canones in Synodis Provincialibus & à Metropolitanis esse terminandas.

XXVIII. Hanc distinctionem non obscurè amplexus videtur Innocentius III. nam solam Episcoporum depositionem Sedi Apostolicæ reservatam asserit in Capitulo 2. De Trans-

Translat. Episcop. imò ait, tria, nimirum *translationem, depositionem & sessionem* Episcoporum, non tam institutione Canonica, quam institutione Divina, soli esse Romano Pontifici reservata.

XXVIII. Hanc distinctionem jam pridem receptam fuisse in Gallia testis est antiquus Sanctionis Pragmaticæ Glossographus Cosmas Guimierius, dicens: "Episcoporum depositio est, Papæ reservata. Si verò non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium provinciale erit iudex."

XXIX. Eandem tandem confirmavit Synodus Trid. *Sess. 24. cap. 5. De Reformat.* ubi ait: "Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod ab ipso tantum summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, Nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant; quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ."

XXX. Post hæc de minoribus Episcoporum causis subjungit: "Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium provinciale."

XXXI. Refert Cardinalis Pallavicinus *lib. 23. Hist. Concilii Trid. cap. 7. num. 11.* quòd cum ageretur de Decretis reformationis *Sess. 24.* promulgandis, Cardinalis Lotharingus in quinto capite, ubi lex habetur de committendis Episcoporum causis, opinabatur, aut caput illud omninò delendum, aut restringendum, adjectâ pariculâ *salvis Privilegiis* ut *privilegiis* aliter necesse fore, ut Galli repugnarent, cum Decretum illud opponeretur privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ.

XXXII. Deinde narrat Pallavicinus *ibidem cap. 8. num. 5.* quòd in hoc quinto capite "sublatæ fuerint in gratiam Lotharingi amplissima derogationes cuicumque privilegio jam appositæ, idque ne apertum detrimentum prærogativis Ecclesiæ Gallicanæ in eò contineretur, quandoquidem ille non impetraverat, sicut petierat in antegresso examine, ut Privilegiarum privilegia diserte illæsa servarentur: in quo necesse habuit, ut ardentè se gereret, quoniam super hoc articulo Venetiis conquesti fuerant de Synodo Gallici Oratores."

XXXIII. Quòd hæc dicit Pallavicinus de Gallicis Oratoribus, etiam probant observationes atque animadversiones Oratorum Regis Christianissimi in articulos reformationis, *Sess. 24.* publicandos; in his observationibus notatur: "Caput, quòd incipit, *Causæ criminales*, non placet. Adversatur enim antiquissimo juri Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne quis etiam volens extra Regnum à quoquam ex quacumque causa in jus vocari, nedum condemnari possit."

XXXIV. Extant hæc observationes in libello, cui titulus, *Memoires pour le Concile de Trente*, edit. 1654. pag. 573. ubi & pag. 575. referuntur notæ Domini de Pibrac Oratoris Regis Galliarum in Concilio Tridentino, ad aliquot Capita hujus *Sess. 24.* tibi nominatim ad hoc Caput quintum notatur: "Hoc totum Decretum gratissimum omnibus Patribus fuit, nullòque dissentiente approbatum, quanquam ex eo nihil magis sequi videatur quam securitas, & gravissimorum criminum impunitas, quæ ipsa per se maxima est illecebra peccandi. Quis enim ex longinquis regionibus ad testimonium dicendum Romam proficisci volet? Violatur quoque hæc aperiensimè jus nostrum, quo hæcenus semper usi sumus: neminem enim Gallum, nisi in Gallia, judicari leges patiuntur. Illud autem nulla ratione fieri potest, quòd causæ civiles Episcoporum, ubi scilicet de eorum bonis agitur, ad fo-

rum Romanum hoc Decreto transferuntur."

XXXV. Observationibus Gallicanis circa hoc Decretum Concilii Tridentini non absurdæ sunt notæ Magistratum Belgicorum, quas præviè ante publicationem Concilii Tridentini in his partibus addiderunt.

Imprimis enim ad *cap. 8. Sess. 13.* ubi dicitur: *Causæ Episcoporum, cum pro criminis gravitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur*, speciatim Brabantini observarunt, hæc ratione subditos extra Patriam fore trahendos, quòd directò adversatur indulto Summorum Pontificum, Leonis & Clementis, & Constitutionibus Suae Majestatis, & Illustrissimorum ejus Prædecessorum, qui non sine gravi ac prægnanti causa id concesserunt."

Deinde ad *cap. 5. Sess. 24.* "monuerunt Brabantini, Flandri, aliique posse Regem inhære veteri juri & auctoritati suæ ad conservandam securitatem & tranquillitatem Reipublicæ & subditorum."

XXXVI. Plurima & antiquissima sunt Principum Belgii edicta, quæ vetant, Belgas extra suas provincias in jus vocari; quæ etiam juramento Principes in sua inauguratione inviolabiliter observare promittunt. Idque non tantum in causis civilibus, sed & Ecclesiasticis; atque hinc notorius & quotidianus usus delegandi iudices appellationum in *Partibus*, si quando à sententiâ iudicis Ecclesiastici ad Pontificem appellatum est; uti infra, ubi de *Judicibus delegatis* agetur, latius ostendetur.

XXXVII. Non dubium, quin magna secum trahat incommoda extra Provincias, & in remotis locis Causam prosequi debere: idque sive per personas litigantes spectes, quæ sine magnis sumptibus, variisque domesticis & familiaribus incommodis in locis illis remotioribus ad prosequendas causas morari nequeunt; sive etiam ipsam causarum instructionem attendas; nam ut jam pridem rectè scripsit S. Ivo Carnotensis *epistola 86.* "Si intra Provinciam, secundum quòd instituta Majorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret, non deessent accusatores, non deessent testes, qui pro hujusmodi negotiis non audent ad remota loca pro-

dire."

XXXVIII. Quamvis nonnulla crimina inferiores Clericos, quin & Presbyteros iudicibus Regis subjecerint; praxisque invaluerit, ut de illis à iudicibus Laicis judicentur & condemnentur, hæcenus non scimus ad Episcopos Laicam jurisdictionem ratione criminis quantumvis atrocis esse extensam, referaturque in Actis Cleri Gallicani declaratum esse 26. Aprilis 1657. per Regem Galliarum, quòd si Episcopi accusarentur de crimine *lese Majestatis*, ipsorum processus instruerentur per iudices Ecclesiasticos, conformiter ad Sanctiones Canonicas, & formam in hoc Regno servari consuetam.

Qua de re extat articulus in Summario Actorum Cleri Gallicani edit. 1680. *tomo 1. parte 1. tit. 1. cap. 2. art. 37. Les immunités & exemptions acquises aux Cardinaux, Archevêques & évêques doivent estre inviolablement gardées & observées dans ce Royaume. Ce qui fut ordonné par sa Majesté par Arrest de son Conseil d'Etat du 26. Avril 1657. & la Commission du 21. Septembre 1654. qui avoit esté envoyée au Parlement de Paris pour faire le Procès à Mon seigneur le Cardinal de Retz fut déclarée nulle; & qu'au cas qu'ils soient accusés du crime de lese Majesté leur Procès sera instruit, & jugé pour leurs personnes, par les Juges Ecclesiastiques, conformément aux saints Decrets, & Constitutions Canoniques, & suivant les formes observées dans le Royaume aux causes des Evêques.* Id est: Immunitates & exemptiones Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis partè inviolabiliter conservandæ sunt in hocce Regno. Idque à sua Majestate statutum est per Edictum Concilii statum 26. April. 1657. & Mandatum de 21. Septembris 1654. quòd suprema Curia Parisiensi missum fuerat, ut Dominus Cardinalis Retensis in jus vocaretur, nullius valoris declaratum est; utque in casum, quo de crimine læsæ Majestatis rei agerentur ipsorum causa instrueretur & judicaretur pro ipsorum persona per Eccle-

Ecclesiasticos Judices, conformiter ad Ecclesiastica Decreta & Canonicas Sanctiones, & juxta morem in hoc Regno observatum in causa Episcoporum.

Sa Majesté donna une Declaration du même jour 26. Avril 1657. qui confirme ledit Arrest. Id est: Sua Majestas eodem die 26. Aprilis 1657. Declarationem fecit qua dictum Edictum confirmat.

XXXIX. Ex his satis intelligitur, quomodo Ecclesia fuerit sollicita, ne temere Episcopi accusarentur aut damnarentur, neque inferioribus subderentur; dum non nisi causas

criminales ipsorum coram multorum Episcoporum cœtu examinari & discuti voluit. Verum & ex his etiam intelligere possunt Episcopi, quòd juxta mentem Ecclesiæ debeant se in omnibus irreprehensibiles exhibere, ne quis contra ipsos justam querelam habeat: neque hanc ab inferioribus iudicibus immunitatem in licentiam dominandi, aut liberius peccandi assumere. Sanè dum hodie vix sæculo uno Synodus Provincialis habetur, patet, quomodo ab omni pene judice Episcopi ià hujusmodi causis sint exempti.

TITULUS IV.

De Delictis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

Quomodo olim Episcopi de omnibus criminibus cognoverint, & quomodo hæc Episcoporum auctoritas imminuta?

- 1 Per multa sæcula latissime se extendit Ecclesia auctoritas in crimina etiam laicorum.
- 2 Argumentum istius discipline suppediati Constitutiones vulgò Apostolicæ.
- 3 Episcopi in omnia crimina, etiam occulta, inquirebant, & quasi processum instituunt.
- 4 Hæc inquisitio & processus tendebant ad reconciliationem peccatoris.
- 5 Forum externum non erat separatum à foro interno, seu Sacramentali.
- 6 Non erat aliud pro foro externo, aliud pro foro interno constitutum.
- 7 Hæc disciplina videtur durasse per 11. sæcula.
- 8 Multa judicialia etiam interveniebant, quæ tamen indirectè spectabant ad Sacramentum Pœnitentiæ.
- 9 Circa sæculum 7. quædam crimina specialiter spectabant ad Episcopos; sed quidquid Episcopi agebant, spectabat ad Sacramentum Pœnitentiæ.
- 10 Ostenditur quomodo omnia crimina merito fuerint jurisdictionis Ecclesiasticæ.
- 11 Nulla tunc erat criminum distinctio in Ecclesiastica & Civilia prout illa hodie accipiuntur.
- 12 Episcopus non vetabatur inquirere in crimina Civilia etiam laicorum.
- 13 Episcopo non obstat iudicium laici.
- 14 Crimen Civiliter punitum poterat postmodum etiam per Episcopum puniri.
- 15 Ratio istius discipline.
- 16 Reprobantur qui contrarium asserere volebant.
- 17 Qui Episcopis obedire renuebant, compellebantur per Magistratus Civiles.
- 18 Jurisdictio Episcoporum integra mansit quamdiu forum externum fuit conjunctum cum interno.
- 19 Circa sæculum 12. utrumque forum separari cœpit.
- 20 Quæ fori judicialis sunt Episcopi sibi vel Vicariis suis reservarunt, & quæ fori interni inferioribus Presbyteris commiserunt.
- 21 Hæc fori separatione stabilitâ, Officiales Episcoporum de omni peccato cognoscere prætendebant.
- 22 Confor me responsum Innocenti III.
- 23 Post hoc principio, omnium penè causas sibi attraherunt iudices Ecclesiastici.
- 24 Fundamentum Officialium erat, quòd ad Ecclesiasticos pertineret remissio peccatorum.
- 25 Hæc ratio non concludebat pro foro contentioso.
- 26 Ob separationem fori Pœnitentiæ à foro contentioso ceperunt iudices Regii aliqua crimina sibi reservare.
- 27 Crimina quæ nihil continent spirituale præter illud quod

concernit forum Sacramentale, non spectant ad cognitionem Officialium.

28 Ad illud forum spectantia remittuntur ad hujus fori ministros.

29 Si crimen habeat aliquid spirituale præter illud quod concernit forum Sacramentale, illud manet cognitionis Ecclesiasticæ.

30 Hinc invaluit distinctio criminum in Ecclesiastica, Civilia & mixta.



Rimittit latissime Ecclesiæ auctoritatem in puniendis quibuscumque etiam laicorum delictis, atque in ea inquirendi potuisse, multis ostendit Morinus De Administratione Sacramenti *penit. lib. 1. cap. 9. & 10.*

Imò asserere non dubitat, quòd totis undecim & amplius sæculis eam in omnia crimina auctoritatem Ecclesia constantissime exercuerit. "Quamquam enim (ait) toto illo tempore, nonnullas magni momenti varietates urgentibus de causis Episcopi in Ecclesiæ disciplinam quæ pœnitentiæ spectat, intulerint, constantissime tamen Jurisdictionem suam in omnia crimina etiam levissima, occulta & publica, Sacramentali, ut nunc loquimur, ratione exercuerunt."

II. Argumentum istius discipline suppediat totus liber secundus Constitutionum vulgò Apostolicarum, quæ licet Apostolis falso tribuantur, tamen antiquæ sunt, nec sæculo 4. recentiores videntur. In hoc porro libro, nihil penè aliud tractatur quam modus ratioque, juxta quam Episcopus in judicandis ac puniendis peccatis, recipiendis ad pœnitentiæ peccatoribus sese gerere debeat; nec ulla umquam in eo distinctio peccatorum, ejus membrum foro Ecclesiastico, & pœnitentiæ non subijciatur: "ait Morinus citato *cap. 10. num. 2.*"

III. Ostendit ibidem multis ex antiquitate petitis testimoniis, Episcopos tum temporis in omnia crimina etiam occulta inquisivisse, ac quasi processus instituisse: ut conformiter ad crimina detecta pœnitentiæ imponerent.

IV. Hoc tamen apprimè notandum, quòd dicit Morinus, Episcopos Jurisdictionem suam tunc in omnia crimina exercuisse, *Sacramentali*, ut nunc loquimur, *ratione*.

Licet enim in peccata inquirerent, testes audirent, censuris aliisque canonicis pœnis contra peccatores procederent, tamen hæc omnia unice ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imò omnia quæ Episcopi circa crimina exercebant, cum pœnitentiæ Sacramento connectebantur; atque ad ipsum forum internum Pœnitentiæ sive antecederent sive consequenter reducebantur.

V. Neque enim toto illo sæculorum undecim curriculo forum externum ab interno seu Sacramentali disjungebatur; sed hoc illi arcto vinculo connectebatur; sive potius quidquid in foro externo agebatur, ad forum internum Sacramenti Pœnitentiæ referebatur, uti fusè ibidem ostendit Morinus.

VI. "Nec erat aliud, qui excommunicationem, alius qui peccata solveret, ad quem solutâ excommunicatione